Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 1433
Quelle:
Copyright:

CCCLXXVI.

877 Codex chartaceus lat. Sec. XVII. Folior. 11. f. inſcribitur: *Epitome Totius Alcorani, Legis Sarracenorum. Orationes Arabum.* Carptim delibantur Indicis in morem Notabilia quaedam maxime Moralia, idque ordine *Surarum*, hujusmodi initio: *In Deo iram et miſericordiam ponunt. Quod in ſe ipſo Verum eſt, ſolis puris, quale eſt, uidetur. Quos Deus obdurauit, nemo mollieť aut inſtruet. Qui ore non opere virtutem laudant, ſe ipſos decipiunt, nihil aliud niſi detrimentum animæ ſuæ curantes.* &c. Abrumpitur *Codex* in *Sura* XVII.

CCCLXXVII.

525 Codex chartaceus lat. Sec. XV. Folior. 345. 4. probe ſcriptus, rubricisque diſtinctus continet: I. Tractatum *de predicacione crucis contra Sarracenos*, qui, ut e *Cod.* CCCLVI. repeto, pertinet ad *Humbertum de Romanis* O. P. Magiſtrum Generalem. Aſt non parva inter utrumque Exemplum differentia, dum unum altero jam uberius, jam ſuccinctius eſt. Atque ut de praeſenti dicam, incipit illud: *Ad domini noſtri ſaluatoris ihesu chriſti gloriam et honorem et ſancte matris eccleſie vtilitatem ac fidei ortbodoxe dilatacionem ea que infra ſcripta ſunt de predicacione crucis contra Sarracenos* &c. et mox omiſſis, quae *Cod.* CCCLVI. ſubjunguntur, monitis, Conſpectum exhibet *Capitum* VIII. qui ibi non habetur. Eſt vero infidus hic Conſpectus; *Caput* enim VIII. *de Thematibus ad predicandum de cruce accipienda*, in decurſu Operis non comparet. Abſunt etiam Capita illa V. quae in *Cod. cit.* finem totius Operis conſtituunt. Ut adeo Exemplum illud praeſenti anteferendum cenſeam. Cauſſam differentiae Autor ipſe praebuiſſe videtur, dum in Ingreſſu de Praedicatoribus ita ſcripſit: *Qui vero ad hujusmodi predicationem magis ſunt ydonei, occaſione ſibi data plura addere poſſunt et meliora. Alij vero qui in predicatione gratiam habent excellentem ex materia eis rudi propoſita tanquam prudentes artifices producant opus pulchrius et magis formatum.* Hac itaque venia uſos fuiſſe quosdam, non eſt incredibile.

II. *fol.* 29. p. 2. *Reuerendo magiſtro Nicolao Tynkelſpüchel Sacre pagine profeſſori Branda* (Caſtellioneus Mediol.) *miſeracione diuina tituli ſancti Clementis Sancte Romane eccleſie presbiter Cardinalis Placentinus uulgariter nuncupatus Sedis apoſtolice legatus Salutem in domino ſempiternam.* Celebrem hunc Cardinalem, cujus vitam enarrat *Alph. Ciaconius* T. II. *col.* 801. cum Bulla *Cruciata* contra *Wicleſiſtas* in *Germaniam* ablegarat *Martinus* V. Adpulſus ille has ad Theologum noſtrum *Viennenſem* dedit literas. Earum initium: *Ex debito legacionis per ſedem apoſtolicam nobis iniuncte cum vbilibet adeſſe nequeamus vobis tenorem in-*